DISPUTATIO FEUDALIS TERTIA, DE CAUSIS FEUDUM AMITTENDI & PROCESSU FEUDALI, QUAM ... SUB...

Henning Grosse, Jeremias Godfrid Reichelm, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Disputatio Tertia.

Theſis I.

FEudum vel finitur vel amittitur. Finitur primum ratione Rei ſeu Prædii feudalis intereuntis; Deinde ratione Perſonæ, quoties vel Domini vel Vaſalli finitur generatio, vel Domino Vaſallus feudum novum reſutat & cedit, vel Dominus directum vaſallo impertitur Dominium.

II.

Amittitur feudum Feloniâ, cujus cauſæ etſi teſtimonio Oberti, ſub aliqua certâ Regula & definitione rotunda comprehendi vix poſſunt, uſu tamen curiarum frequentius receptæ, ſequentibus capitibus continentur. *Cauſa feudum amittendi.*

III.

Quædam enim conſiſtunt in committendo, quædam in omittendo; Illæ viciſſim reſpiciunt, vel Perſonam, idque aut directò, aut per conſequentiam; vel Bona & facultates domini, de quibus ſingulis breviter.

IV.

Directò in perſonam Domini feloniam Vaſallus committit: 1. Si Dominum in prælio nondum mortuum, neque lethaliter vulneratum deſeruit. 2. Si Dominum aſſalierit. 3. Si ſecreta Domini revelaverit, doloſe ſc. & animo nocendi, damnumque revera ſubſecutum ſit. 4. Si requiſitus ſervitia præſtare recuſaverit. 5. Si intra annum & diem renovationem inveſtituræ petere neglexerit. 6. Si à Domino circa Judicialia vel extrajudicialia negotia requiſitus extiterit contumax, mandatumque Domini contemſerit; niſi intra annum contumaciam purgaverit. Hoc enim ſi fecerit reſtituitur & poſſeſſionem feudi recuperat. 7. Si impias & violen-

tas manus Domino intulerit, & ſi vel manum ſaltem erexerit, nécdum percuſſerit. 8. Vel aliam inſignem gravemque Domino injuriam fecerit. 9. Si negotium Domino fecerit, unde grave Domino ortum ſit diſpendium; forſan accuſando, vel teſtimonium in cauſa criminali adverſus Dominum perhibendo; niſi ſuam ſuorumque injuriam perſequatur. 10. Si quicquam de feudo inficiatus fuerit dolo malo. 11. Si amicitiam cum hoſte aut inimico Domini contraxerit.

V.

Per conſequentiam in perſonam Domini felonia committitur, duabus potiſſimum de cauſis. 1. Si cucurbitaverit Dominum, hoc eſt, cum Uxore aut Sponſa filia vel ſorore ejus concubuerit, vel ſaltem cum illis concumbere ſe exercuerit, vel perſonas Domino neceſſitudine conjunctas gravi injuria affecerit. 2. Si gravia & enormia in aliam, quam Domini perſonam, delicta commiſerit, ut puta, proditor patriæ, parricida extiterit.

VI.

Porro circa Domini facultates ac bona feloniam Vaſallus committit. 1. Si violenter Caſtrum Domini invaſerit. 2. Si gravem & perpetuam deteriorationem Prædio feudali conciliaverit. 3. Si feudum ſine conſenſu Domini purè alienaverit.

VII.

Eſt denique etiam culpa ſeu felonia in omittendo 1. Si vaſallus periculum Domino imminens ipſi non denunciaverit. 2. Si Dominum minus juſtè carceratum, cum potuerit, non liberaverit.

IIX.

An quibus ex cauſis divortium & exheredatio procedit, iisdem & feudum amittitur? Aff. *verſ. prædictis 2. F. 24.* Modò in ipſius Domini & non extranei perſona committatur. *Curt. Jun. p. 4. n. 77.* Atque ex his cauſis Vaſallus feudo privatur.

IX.

Dominus verò in omnibus fidelitatis capitibus vicem fideli

fideli ſuo reddere debet; Proinde ex quibus feloniæ cauſis privatur Vaſallus feudo, iisdem privatur patronus proprietate. *c.un.2.F.47.*

X.

Cæterum Vaſallo feudum committente, non continuò Domino aperitur, ſed Agnatorum habenda eſt ratio.

XI.

Inter Agnatos verò primum gradum quidem obtinent filii, ſed cum hi feudum à Patre ſperant extincto jure patris, filiorum quoq; ſpes evaneſcit. Adeò, ut ſive propter delictum vel in perſonam Domini vel extranei commiſſum, ſive propter illicitam alienationem vaſallus feudo privandus veniat, ad Dominum rectà illud devolvitur, nec filiis reſtituitur, ne quidem mortuo delinquente Patre. *c.un.2.F.27.§.f.2.F.24.verſ.ſi vaſallus culpam.2.F.26.*

XII.

Reliqui verò Agnati, ubi Vaſallus delictum in extraneum perpetravit, ſtatim excluſo Domino admittuntur, ſin verò in perſonam Domini peccavit & feudum illicitè alienavit, poſt mortem Vaſalli delinquentis *c.un.2.F.27.§.deniq; 2.F.24.Hart.Piſt.2.quaſt.15.n.12.*

XIII.

Feudum poſtquam Domino eſt apertum, de fructibus ultimi anni & meliorationibus ſolet moveri quæſt. Inter Dominum & Vaſalli heredes.

XIV.

De fructibus ita habendum. Fructus percepti & à ſolo ſeparati ad Vaſalli heredes pleno jure pertinent. *arg.c.un.in fin. 2.F.23.* In fructibus verò pendentibus & tempore aperti feudi nondum perceptis hæc eſt diſpoſitio juris feudalis; ut ſi quidem feudum aperiatur ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo provenientes ad Dominum pertineant; ſi verò poſt Cal. Martii, usq; ad Auguſtum omnes fructus, qui interim percipiuntur, heredes Vaſalli retineant. *c. his conſeq. 2.F.28.*

 XV. Mo-

XV.

Moribus autem hodiernis & jur. Saxon. ab hac juris communis feudalis diſpoſitione receſſum eſt; ut quocunque Anni tempore feudum aperiatur, fructus induſtriales ad heredes pertineant. Landr. *L. 2. art. 2. ibi.* Des Mannes Saat die er mit ſeinem Pfluge würcket/ die iſt verdienet als die Ege darüber gehet / vnd des Garten als der geradet / geſeet vnd gehacket iſt / *Hart. Piſt. lib. 1. quaſt. 24. n. 74.*

XVI.

Meliorationes Feudi ſiquidem ex intrinſecæ ſunt & citra deſtructionem, deteriorationemve feudi ſeparari non poſſunt, velut ædificium, ſervitus realis, Vaſalli heredes vel tollere vel æſtimationem, ſi hoc Dominus elegerit, recipere jure retentionis, vel per conditionem ſine cauſa poſſunt.

XVII.

Extrinſecæ verò ſi quidem facto & induſtriâ Vaſalli acceſſerunt fundo, adinſtar bonorum allodialium, ad Vaſalli heredes tranſeunt, *§. è contrario 2. F. 28.* Sin verò ſine facto & ſumptu Vaſalli, veluti alluvione vel ſimili ratione feudo accedunt, cum feudo ad Dominum pertinent.

XIIX.

Et hæc ita, ſi ſine delicto Vaſalli feudum aperiatur; ubi verò propter delictum Vaſallus feudo privatur, meliorationum nulla habetur ratio, nec repeti poſſunt. *arg. l. 2. C. d. jur. emph. Hart. Piſt. 2. quaſt 42. n. 29.*

XIX.

Supereſt juris præcogniti obtinendi ratio, quæ ex feudalium controverſiarum proceſſu judiciario prodibit manifeſtior, ſi cauſas hujus Proceſſus. ſc. Efficientem, Materialem, Formalem, Finalem cum effectibus atq; Contrariis conſideraverimus.

XX.

Cauſa Judicii feudalis Efficiens non ſecus atque in Jur. Civ. & Canon. ſpectatur, in Actore, Reo & Judice. Actor & Reus in judicio feudali contendere poſſunt, qui legiti-

mam in illo ſtandi habent perſonam. In horum enim jure nullam inter feudorum conſuetudines & Civiles ſanctiones agnoſcimus differentiam. Proinde quæ jure communi de habilitate Actorum & Reorum ſunt conſtituta, *in l. 1. & tot. tit. C. qui habent per legitim. perſ. ſtand. in jud.* & tradita â Specul. de Actore & Reo huc accommodare licet.

XXI.

Judex cauſarum Feudalium Competens, paulo aliter ſe habet Jure Feudali quam Civili: Nam controverſia feudalis modò 1. coram ordinario loci Magiſtratu, quoties inter Dominum & extraneum. *l. 2. C. Jurud. l. ult. C. ubi in rem actio.* Vaſallum & extraneum *c. un. 2. F. 43.* vel inter duos Vaſallos qui diverſos laudant Dominos. *§. 1. verſ. ſi inter pares 2. F. 34.* controverſia ventilatur. 2. Vel coram Arbitro in quem ſine Domini quoq; conſenſu rectè compromittitur: per textum *in c. un. verſ. è contra 2. F. 15. verſ. ſi autem 2. F. 36. c. un. 2. F. 46.* 3. Vel coram Domino feudi, quoties lis eſt inter duos Vaſallos, de eodem beneficio certantes, *c. un. 1. F. 18.* Adeò autem hoc caſu ſolus Dominus Judex competens eſt, ut quamvis Camera Imper. concurrentem cum Imperatore Jurisdictionem habeat, tamen in cauſis feudorum Regalium, als Fürſtenthümern / Graffſchafften ſolus Imperator cognoſcere debet, Cammerg. Ord. T. Wie vmb Fürſtenthumb / Graffſchafften / etc. in Recht gehandelt werden ſoll. Vel deniq; coram paribus Curiæ, ſi inter Dominum & Vaſallum circa feudum orta fuerit controverſia. *c. un. 1. F. 18. §. f. 2. F. 55.*

XXII.

Pares autem à paritate fidelitatis dicti, quod ejusdem domini immediati Vaſalli ſint, in eadem curia feudi controverſi, ab eodem Domino feuda tenentes. A Domino prius eligendi ſunt ſat habiles, *c. un. pr. 1. F. 26.* deinde Vaſallus domini adverſarius itidem hoc facit ſecundum numerum à Domino comprobatum. *c. un. 2. F. 16.* Contumax autem eligendi facultatem amittit.

XXIII. Cau-

XXIII.

Cauſa Materialis, quæ in judicium feudale deducitur, ex perſona actoris eſt Actio, ſi quid actionis vim habet, ex Rei parte Exceptio & quicquid exceptionis vicem obtinet.

XXIV.

Actiones perſonales Vaſallo ad feudum vel promiſſum vel abuſiva inveſtiturâ conſtitutum competentes ſupra c. 7. fuerunt commonſtratæ; Feudo autem jam conſtituto ac per traditionem conſummato datur fideli actio in rem & quaſi vendicatio adverſus quemvis poſſeſſorem etiam ipſum feudi Dominum. *2.F.8.arg.l.1.ff. ſi ager vect.*

XXV.

Poſſeſſoria quoq; judicia acquirendæ, retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis Vaſallo competũt, *arg.c.un.§.f.2.F.7.* excepto interdicto *unde vi*, hoc enim cum vel ſaltem facti infamiam irroget. *l.1.§.43.l.13.ff. d.vi. & vi arm.* Vaſallus contra dominum, cui reverentiam debet, abſtinebit. *Men.recup.poſ. remed.1.n.94.*

XXVI.

Domino quoq; adverſus Vaſallum tam in rem quàm in perſonam competunt actiones. In perſonam actio ex ſtipulatu, condictio ex moribus, condictio cauſa data cauſa non ſecuta, quoties Vaſallus vel non præſtat, quod ſpeciali inveſtituræ conventione, aut communi feudorum natura præſtare debebat, vel feloniam commiſit, quia non ipſo jure, ſed per ſententiam condemnatoriam utile feudi dominium auffertur. *c. un.pr.1.F.21.* In Rem verò ut vindicatio adverſus extraneum feudi poſſeſſorem vel ipſum Vaſallum, qui ipſo jure feudi poſſeſſionem incurrit. Poſſeſſoria item remedia Domino competere conſtat.

XXVII.

Circa cauſam judicii feudalis Formalem, notanda primum hæc regula eſt: Quod proceſſus vulgaris ſervandus ſit, ubi J.Feud.vel Conſuetudinario nihil reperitur ſingulariter receptum.*Roſenth. c.12. concl.4.* Proinde Citatio, Libellus, Litis

conte-

conteſtatio, probatio, cauſæ cognitio, & tandem ſententia requiritur.

XXIIX.

Singularia verò in quibus Jus feud. à communi Canonico & Civili recedit, hæc ſunt.

XXIX.

I. Domino cum Vaſallo, & econtra litiganti remittitur juramentum calumniæ, tam generale quàm vetus illud ſpeciale, quod præſtatur ab eo, qui juramentum alteri in judicio defert. *c. un. §. in quibus* 2. *F.* 33. *Rittersb.p.*2.*c.*9. *q.* 30. Sed anne etiam in Vaſallis ſecum invicem litigantibus procedit? Neg. Vinculum enim fidelitatis quod huic remiſſioni locum fecit inter convaſallos ceſſat. *Vult.*2.*F.*2.*n.*8.

XXX.

II. Reconventio J. commune in diverſis quoq; negotiis admittit. *Nov.* 69. *c.* 2. *Pet. Frid. in tr. d. contin. cauſ. c.* 7. Jure Feudali autem reconventio non procedit, quoties reconventionis cauſa eſt allodialis. *c. un.* 2 *F.* 43. *Mynſ.* 4. *obſ.* 90.

XXXI.

III. In probandi modò plura uſus feudorum habet ſingularia, ubi inprimis probatio ſeparanda eſt à defenſione. Probatio fit teſtibus aut inſtrumentis.

XXXII.

Circa teſtes tria ſunt ſingularia. 1. Quod fœmellæ à teſtimonio repellantur. *§.fin.ibi præter fœminas.*2.*F.*32. *contra J.com.diſp.in c. mulierem.*23.*q.*5. 2. Quodſi Dominus habeat pares Curiæ, alii ſive extranei ad teſtimonium admittuntur. *c.un.pr.*1.*F.*20.*c.un.§.teſtes verò.*1.*F.*26.*&* 32.*vid. Rittersb.* 2.*c.*10.*q.*4. 3. Quod quamvis ad probandam inveſtituram duo teſtes ſufficiant, felonia tamen non niſi quinq; teſtium teſtimoniis plenè probari poteſt. *c.un. inf.*2 *F.*57.

XXXIII.

Circa Inſtrumenta verò non tanta occurrit differentia. Si enim de probatione feloniæ laboretur, quodlibet Inſtrumentum J.C. ad faciendam fidem idoneum ſufficit. Ubi au-

tem de inveſtitura vel qualitate ſeudali probanda agitur, breve teſtatum hoc unicum ſingulariter requirit, ut pares Curiæ ſubſcriptione ſua illud roboraverint, quod ipſum tamen quoq; moderna curię obſervantia non requirit.

XXXIV.

Actore non probante æquum erat J. Con. Reum, etiamſi nihil præſtiterit, abſolvi. *l 4 C. d. eaend.* Sed jure feudali ob levem ſuſpicionem & conjecturam, ſeſe defendere tenetur. *pr. §. ſacramentum. 2. F. 33.*

XXXV.

Defenſio illa jure antiquo feudorum expediebatur judicio humano vel divino.

XXXVI.

Humano per juramentum; cum duobus ſacramentalibus, quorum ſex erant, parentes ſeu cognati, & ſex extranei, quorum ceu compurgatorum manibus ſuper capſam impoſitis, principalis ſuam manum ſuper imponebat & verba præibat.

XXXVII.

Cæterum, quia de alieno facto jurare res eſt cum perjurii periculo valdè conjuncta, ideoq; mos iſte jurandi cum duobus ſacramentalibus ab uſu receſſit, & reditum eſt ad Jus Commune, ut Actore non probante Reus abſolvatur, vel ſi ſemiplenè aut minùs probatum fuerit, juramentum ſuppletorium vel purgationis deferatur. *Vult. 2. feud. 3. n. 20. in f.*

XXXIIX.

Divino judicio olim fiebat defenſio duello vel exploratione.

XXXIX.

Duellum eſt duorum vel plurium concertatio, eo fine inſtituta ut aliquid ex ipſius eventu dijudicetur. *§. ſimiles 2. F. 27. c. un. §. non eſt conſuet. 2 Feud. 39.* Cujus formam eruditè collegit *Rittersh. 2. F. 10 quæſt. 28. & ſeqq.* Quia verò monomachiâ in ambiguis cauſarum fatis Deus tentatur & privatorum

torum vindictæ feneſtra apetitur, jure & moribus eſt ſublata. *c.monomachia. 22. 2. q. X. d.purg. vulg.*

XL.

Exploratio variè peragebatur, vel per ferrum candens, flammam, aquam ferventem, ſortem, vel per ſacram hoſtiam. Nam quem flamma, vel ferrum candens non adurebat, vel ſacra hoſtia ore ſumpta non ſuffocabat, habebatur pro innocente, læſus verò vel extinctus habebatur pro convicto & condemnato, quaſi divino miraculo cauſæ veritatem revelante. *c.f. X. d. purg. vulg.* Sed & hæ explorationum ſpecies ob eandem cum monomachia cauſam ab aula meritò receſſerunt.

XLI.

Probatione factâ cauſaq; cognitâ Judex fert ſententiam quâ abſolutio vel condemnatio continetur. In cujus ſolenni conceptione & publicatione, eadē quæ jure Com. obſervātur. Cujus effectus conſiſtit in executione, quam Dominus ſi inter Vaſallos ſententiam tulit, facere debet. Parium verò Curiæ arbitrorumque laudamentum exequitur magiſtratus domini ordinarius. *c. un. ibi. ad majorem poteſt ire. 2. F. 22. c. un. verſ. hi enim non cogent. 1. F. 26. Rittersh. 2. F. 10. quæſt. 25.*

XLII.

Contraria Judicio feudali ſunt, Remedia ſententiarum ſuſpenſiva, Leuteratio, Appellatio, Reſtitutio in integrum, &c. De quibus in Proceſſu Civili copioſius tractatur.

XLIII.

De appellatione ſaltem dicendum, ad quem Judicem provocandum ſit? A Paribus ergò Curiæ appellandum eſt ad Ordinarium Loci Magiſtratum. *Vult. lib. 2. n. 4. in f.* A Domino verò ad Dominum proximè ſuperiorem. In reliquis Juris Com. diſpoſitio attenditur. Appellatio autem

inter-

interponenda inter decennium, quia aliud tempus Feud. non eſt definitum, quod enim in *c. unic. inf. 1. F. 22.* habetur de ſex ſeptimanis illud à FF. cōmuniter reſtringitur ad caſum ſpecialem, quoties videlicet Imperator appellatur in Cauſa magni feudi, Ducatus vel Marchionatus. *Curt. jun. Q. ult. n. 33.* Judex tandem à quo, ſive Dominus ſive Pares Curiæ unà ad judicem appellationis proficiſci & cauſam dicere jubentur. Quod ſpeciale in feudis proponitur quidem *in §. fin. 1. F. 22.* Verum non ſervari uſus docebit.

LAUS DEO.

BLIOTECA NAZ. ROMA EMANUELE

F I N I S.